

I. N. J.

Nobili. Clariss. & Excellentiss. VIRO,

DN. FLAMINIO GAST,

de Gaspendorf,

Philosoph. & Med. Doctori, apud Megaglov. Practico,

Nobiliss. Excellentiss. & Ampliss. VIRI,

DN. WOLFGANGI GAST,

de Gaspendorf,

Illustriss. PRINCIP. LIGNIC. quondam Consiliar. & Archiatri,

relictæ FILIO unico;

Nobiliss. q̄, Annis, & Virtutibus florentiss. VIRGINI,

MAGDALENÆ FREYWALDIÆ,

Nobiliss. Consultiss. Amplissimiq̄, VIRI,

DN. CHRISTOPHORI FREYWALDI,

Illustris, & Generosi DN. de MALZAN in Militisch quondam-Consiliarii;

& Liber. Baronatûs Militiensis Cancellarii, relictæ FILIÆ Natu majori;

Nobiliss. itidem, Ampliss. & Excellentiss. VIRI,

DN. DANIELIS BUCRETI,

Philosoph. & Medicin. Doctoris, Archiatri Archi-Ducalis. Physici Uratislav. & Practici p. m.

ex Filiâ, natu mediâ, MARGARITA, PRONEPTI;

lepidissimo SPONSORUM PARI,

Uratulaviæ ad D. III. Februar. c15 156 LX.

Ritu inter Christianos solenni feliciter jungendo,

Incrementa exoptatæ Salutis omnia ex Animo comprecantium

PATRONORUM, FAUTORUM, ADFINIUM, & AMICORUM

METRICA EULOGEMATA.

Nominis allusio.

Quis novus iste novis succedet sedibus
Hospes?

Sylvâq; lætus liberâ figet sibi
Hospitium stabile, & campo colludet aperto?

Est *Hospes* ille, quem videtis *Hospites*,
Hactenus intactum *nemus* intraturus: at ipse

Capteivus innodabitur; nec ampliùs
Hospes erit, sed *Civis* erit; capietur uterq;.

Quin *captus* ipse jam fruetur liberè
Sylvæ latebris: Sponsum, Sponsamq; fovebit
Potrix Viadri clara Vratislavia.

Habet Laudem Virtus Recepta.

Hospitium *quæris?* patet en *Tibi* Libera Silva

GASTO, nitens *Medici* fax, *Meliciq;* *Dei!*

Corporis invenies *animiq;* *Cibaria*, pasci 1018398

Si cupis; *Ambrosiam*, *Nectar* & invenies.

MAGDALIS hæc dictæ dabit *Hospita* blandula *Silvæ*,

Nutrit *Eusebie* quam, *Charitumq;* *Trias*.

HANC Te *Fata* *Tuam* fecere petes sere *Nympham*,

Nymphæ sui confert perpes *Amoris* opus.

Hospes



Hospes ô Hospitio certè dignissimus Isth!

Hospita vah! decies Hospite digna suô.

Nos alat una Fides, Amor unus, & una Voluntas,

Concubituq; beet fertilitate DEVS. 211

Amabilisf. SPONSOR. Pari

καμψύχος precatur

JOHAN - HENRICUS CUNRADUS,

Illustrissimi Ducis Württembergensis &

Teccensis, ut & in Silesiâ Olsnensis

Consiliarius.

Ad Dominum Sponsum.

TRANseat, è Matris tutelâ, Sponsa, meâq; ,

Conjugis in curam, cum Mediciq; tuam;

Ipsam curabis, decet ut fidumq; Maritum,

Ac Medicum doctum, sedulitate probâ.

Sed valeat Medici cum non, nec cura Mariti

Sola; juvet, felix sis ut uterq; , Deus.

Indè Tibi surgent laudes & commoda multa,

Magnaq; , Cognatis, gaudia, deliciæ.

Ad Virginem Sponsam,

Interpretaturo Domino Sponso.

SIS orbata licet charo Genitore, reliquit

Hoc pro, Sponsa, tamen fervida vota dic.

Ante suum siquidem funus fuit Ipse precatus,

Effusis lachrymis, prospera quæq; Tibi.

Non minus Eiusdem nunc hoc conantur Amici,
Quos inter nulli cedere corde queo.
Præcedit, vincit cuius, Genitrix, amor omnes.
Plus donet votis Gratia Dia piis!

Ita ex animo congratulab.

GOTHO FREDUS WOLFFIUS, J. U. Lic.

Illustrisf. Comiti ab Hazfeld & Gleichen &c. à Consiliis.

MAGDALI FREIWALDI, Proavis virgo edita
claris,

*Omnigena decorans nobile laude genus; (rem
SPONSA, Tui quondam in PATRIS insinuare favo-
Quòd potui, ingenio maximi & arte VIRI;
Id reliquis merito memor annumerare rebus,
Queis bona fors ævum visa beare meum.
Hinc & eum functum, & moriens quos orbe reliquit,
Me gratum amplecti semper amore decet.
Quòd possim ergo tuis non optima quæq; precari
Tædis, GASTIADÆ SPONSA petita VIRO?
Me quod erit dignum, id faciamq; , & corde precabor,
Ut Tibi det thalami commoda larga DEUS.
Ille Tibi atq; , Tuo longæ vos proroget annos,
Esse animos sanos, corpora sana jubens.*

a. Viris longè Clarissimis Dn. Georgio Fabricio Chemnicens. & Dn. Daniele Buetio.

Anctet

Auget opes patrias, & adeptos auget honores,
Ac reliquis addat pignora chara tori;
 Pignora, quæ vestrae dum cingunt sigma diætæ,
Equiparent oleas ordine dispositas.
 Hinc longum bona Jerusalem videatis ovantes,
 Pacis & Israël munera danda sacro. β
De vobis; nam quid prohibet monita addere votis,
Et cupida hant multis edere verba sonis?
 De vobis, melius consultum haud ire potestis,
 Quo jam nunc jungi vultis uterq; , toro:
 Quam si, post domuis sociata gubernata tuenda,
 Post morum castus, post pietatis opus,
 Vestrum ita ducatis studiis concordibus ævum,
 Ut simplex animus corpora bina regat.
 Quam duxere pie, castè, concorditer, uno
 Fædere, conjuncti Vir Mulierq; , tori;
 Dicitur merito mihi cœlestissima vita,
 In terris etiam dum superesse licet.

β. Imitatione Aratoris lib. 1. Histor.
 Apostol. Israël dicta tenet, qui
 bella reliquerat æger. Ibid. Israël
 claudus habet — Ex mox: Israël
 ferre solent —

Ut haberetur & referretur à me,
 ita uti Sponsæ nunc beatus
 Dn. Parens meritis fuit,
 aliqua gratia, sn.
 ciebam.

M. ELIAS MAJOR P. L. C.
 Gymnasii Vratislaviensis Elisabe-
 thani Rector, & Scholarum
 Inspector.

Amans Amanti Medicus.

Sic est, ut olim *Breslidos Podalirius*,
BUCRETIVS celebris,
Lepidi ingenii Monumenta Museo exigens
Effigiata suo
Curavit expingi. Cupido languidus
Alter, inopsq; sui,
Decumbit æger: alter adstat lectulo,
Sollicitusq; manum
Carpo applicat dextram; tenetq; uretridem,
Dispiciens studio
Morbum, sinistra. Mox, opem medicamine
Ferre potente parans,
Scribit, RECIPE COR; & Malo medeberis.
Nam melior Medicus
Amanti Amante nusquam loci datur.
Nunc Proavi Medici
Proneptis, & Medici Parentis Filius,
Ipse itidem Medicus,
In sese idem lepidè probari sentiunt.
Alter ut alterius
Amore languet, alter alteri placens
Esse cupit Medicus.
Fit id, DEO favente: nec feliciùs
Ulla medela potest

33
Morbum levare languidi profus PARIS,

Nam COR ubi *recipit*

Uterq; carum, Languor omnis pellitur,

Vivaq; *vis Animi*

Se per *medullas Corporis* vegeti exerit.

Este diu vegeti,

GASTO *Medice, medente* cum FRFYWALDIA,

Atq; in amore pares,

Este invicem *Medici*, periti pellere

Cuncta pericla Nosi;

Quâ Vita sæpè tangitur Mortalium,

Conjugiumq; scatet!

Seros *Avorum, Corde juncti* fervido,

Transigitote dies:

Ipsiq; vestris comprobate *Posteris*,

Quod *Proavus* statuit,

Nec *Avus* negavit unquam; *Amanti* fervidè

Quod *Medicus* sit *Amans*.

Ἐν Οὐρανίῳ, ἡγ' ἐπιδὲξ' ὧ' ἄνω ἔννῳ
ex ad fini Affectu hæc scrib.

M. VALENT. KLEINWECHTERUS,

Gymnas. Mar. Magdalen. Rector,

Ἐ. Profesfor.

Æmulus

Æ Mulus Hippocratem dum **GASTO** fideliter agris
Peoniâ doctas porrigit arte manus,
Ipse sui dubius morbo tentatur acuto,
Et passim medicam querit anhelus opem.
Congrua nemo tamen præstat fomenta: dolorem
Cum par sit Medicus curet ut ipse suum.
Explorans igitur sua viscera, pectoris imo
Deprendit Morbi vim latitare sui.
Hinc ait, heu nullis res hæc medicabilis herbis:
Molliter apposito pectore sanus ero.
Nulla mora est: Pectus **FREY ALDIA** pectore curat:
Mox unum ex gemino Pectore Pectus abit.
Res nova: **GASTO** alios curat pariterq; seipsum,
Immò abigit morbos corporis, atq; animi.
Quisquis sic sanat, sic & sanatur, utraq;
Sospes & agrotus, sorte beatus agit.

boni ominis causæ,
fac.

MATTHIAS MACHNERUS,
Reip. Wratisl. ab expedit. Lat. nec
non in Judiciis Eccles. & Or-
phanor. Notarius.

Quis

Quis novus succedit Hospes libero Sylva gradu,
Quam pudica Gratiarum secta cum Nymphis colit?
Nempe Flamen est Hygeæ sospitis, non degener
Pæonis pullus Lygei, clarior quo non erat
Alter expugnare vires asperas Morboniæ.

Pandit huic soluta nodo Liberum Nemus Charis,
Pandit integræ recessum Virginis Lubentia.

Accolæ quod Ægipanes ingredi non sustinent,
Advena patet viretum, suscipitq; Flaminem
Ara Luci virginalis, Hospitem gratisimum.

Non enim vastare ferro barbaro Sylvam venit:
Traducem parat novellam tam bonæ propaginis
In suum transferre septum. Quippè latius virent
In peregrino feraces consita stirpes solo.

O bonum factum! Minutus parte nullâ Lucus est,
Traducem licet sativam cedat Hospiti probo.
Hoc Themis fas esse censet justa, nec jus frangere
Hospitalitatis illum, qui fruatur hospitis
Liberè bonis, sed absq; possidentis noxiâ.

Quin Hyge probat Medentium munus esse maximè
Mitium curare prolem succiplenam stirpium,
Indè cum queant salubre præparare pharmacum.

Annuit Venus genitrix, secla quæ viventium
Fertili satù propagat, & novum nemusculum
Stirpis è tralatione pollicetur prosperâ.
Pulcrius sed ut nitefcatur virga tradux in solo
Hospitali, rore sacro Nectaris frondes rigat
Divæ suavis, & medullam lacte perpluit suo.

Sentit alma planta vires efficaces Cypria,
 Sic virescit, sic corusca frondis explicat decus.
 Qualis ad Ladonis undas casta Laurus explicat
 Verticem semper-comatum, tendit & per aërem
 Cynthii telis onusta, barbitog² brachia:
 Talis Olæ propter Annem Nata Sylva Libera
 Crescit, & totum per annum vere gaudet proprio.
 Non hyems, sylvis honorem cæteris quæ decutit,
 Non gelu Cauri ni valis audet illam ledere.
 Cernis, ut vernet diebus hisce Februariis
 Non minus, quam Majus annum flore cum pingit novo.
 Nosce dotes, Hospes, almi germinis: Si fert hyems
 Has opes, veris voluptas quæ tibi non suggeret
 Dona? Quid non largietur frugis auctumnus bona?
 O satorem te beatum? Gignet Hospes Hospiti
 Planta plantam, sylva sylvam, quæ Lares cinget tuos,
 Pingvis ut proles olivæ, vel propago vitium.
 Firmat omen Ida, firmat urniger Phryx, cælitus
 Qui refusa spondet undâ dulcis augmen Sylvula,
 Fiat, æther quod secundo pollicetur sidere:
 Leta surgat, foeta crescat ad fluenta Guttali
 Sylva tradux, & perenni dote maectet Hospitem,
 Fugiterq; liberalem fundat umbram posteris.

Hoc quicquid est carminis tralatitii,
 boni ominis ergo, novis Nuptis
 offerre voluit,

M. JOHANNES FECHNERUS,
 Gymnas. Uratisl. Elisabethani
 Conrector & Profesfor.

Quæ Vitam faciunt molestiorî
Presam conditione servitutis,
Pacta Conjugii autumavit esse
Prisco tempore veritatis hostis.
Vendidisse licentiam putabat
Illum, qui sibi junxerat maritam.
Quàm falso! juga non onusta Sponsæ,
Plena liberiore charitate.
Est princeps status ille conjugalis.
Non est, qui prohibet Duces vagari
Per deserta, per arboreta, Sylvas
Venariq; feras, lupos & apros
Et cervos, leporesq; capreasq;.
Ast hoc, quod Ducibus fuit Saluti,
Est factum capitale subditorum.
His non dissimiles, quibus venusta
Nullis est in amoribus puella,
Nullis delitiis marita vincla.
Occlusissima sylva conjugalis
Istis, & spoliis carent Dianæ,
Cum Damas cicures, amabilesq;
Casibus Veneris sed impeditas,
Vinclis expediisse non laborant,
Asferantq; puellulasq; seq; ,

Et læti patulo fruantur horto.
Quare Te benè, Sponse clare, GASTI!
Cum Sylvas penetras amoris amplas,
His in amplius haud futurus hospes,
En, non cerya Tibi, nec urfa venit
In casces, sed amabilis puella,
Cum quâ libera nune aperta sylva est
Venandi thalami tui lepores.
Quis Te nunc poterit vocare, Gasti,
Hospitem, cui libera ista Sylva est?

Gratul. scripsit

M. FRIDERICUS VICCIUS.
Gymnas. Magd. Conrector &
Professor.

A Monsieur

FLAMINIUS GAST. D.

pour le feliciter de son heureux mariage,
avec Mademoiselle,

MAGDALENA Freywaldin /
sa chere, & bien aymée Espouse.

I.

Acrostiche.

Meray je donc des vers, n'ayant plustot ouy
Te bruit haut retentir, d'un si cher Hymenee
V propos parvenu selon la destinee,
Monsieur, dont vostre eœur de tout est resjouy?
Me Vous dy, que me vers, ne sont point delectables,

N'em-

33
N' emportent point renom. Ainsi Noble Jetton,
Immortel par vertu, Nourisson d' Apollon,
Vous priant les vouloir tenir pour agreables.
Souhaitant que le Ciel du tres haut Vous assiste,
Garde tous jours Vos biens, benny tous vos desseins,
Vloigne tout malheur par ses divines mains.
Soulage Vostre licet, qu' il ne sois jamais triste,
Traitant l' Amour dedans, qu' il nous puiſs' en neuf mois,
Donner de ces beaux fructs, qui ne rend chacun bois.

II.

*S*ic est: non semper sunt Omina Nomina rerum:
Testatum id faciam rem memorando novam.

LIBERA quæ Virgo cognomine *SYLVA* vocatur,
Nomine duntaxat *LIBERA SYLVA* manet.

Cingere namq; plagis non audet Nobilis illam,
Indocilem levium prælia ferre canum.

Nec fas, hic umbras captareq; frigora, Mystis,
Quæ, se vel recreent, vel meditentur, amant.

Sic apud auricomam quoq; gratia nulla Dianam,
Pro pullis Themidos nil valuere preces.

HOSPES, tu solus, soboles præclara Galeni
MAGDALIDOS SYLVÆ gratus in hospitio es.

O felix *HOSPES*! O terq; quaterq; beate,
Cui Venus alma favet, *LIBERA SYLVA* patet!

Nota leges varios hic inter flumina fructus,
Hicq; ligone novo roscida rura coles.

Culturæ patiens, hic pingue feracibus arvis
Laudabis, pandens & cava lustra, nemus.

Præmia mox tolles sic ritè calendo, colendo,
Ipsa thori flores *LIBERA SYLVA* feret.

*Qualis Montpelii nec Regius educat Hortus
Musa nec Euganeo, Chloride nata, solo.*

Ita

Affectui, Observantiæq; meæ, adver-
sus Sponfos florentissimos, ipforumq; Fa-
milias, ut celeberrimas, sic honoratissi-
mas seriò & amicè obsequens eram.

JOHANN. JACOB. MOESCHELIUS,
Schwobachio Francus, Juris
U. Cand.

DUm *Breslea* tuis *Camæna* Tædis,
Et, quem *Gloga* fovet, Chorus peritus,
GASTO, *Pæonia* celebris *Artis*
Mystes, & nitidum *Decus* *Medentium*;
Applausum parat & pios *Precatus*;
Et Nos, sed strepitum levem, nec aptum
Ad doctæ modulum *Lyræ*, movemus,
Ac *Fædus*, nitido quod igne *Tecum*.
Jam *Freivaldia* pangit, ora fulgens
Puro lumine, ceu *Venus* venusta,
Cum *Fratres* roseos trahit, Soloq;
Indicit placidum *Silere* *Noctis*;
Felix, & *Superum* favore plenum
Optamus. *Sator* & *Repertor* *Orbis*,
Qui servat bonus *universa* *Rerum*,
Et pulcrum docet *invicem* *jugari*
Mundum; *det*, *vigeat* *subindè* *GASTO*,
Insigni *magis* & *nitescat* *Arte*.
Det, *Freymaldia* *sit* *ferax* *tenella*

Et

Et chara Sobolis frequens Genetrix.
 Det, Nuptis faveat benignus Æther.,
 Ut longum facilis favente Sortis
 Aurâ, non sine gaudio, fruantur.,
 Dum Vitæ saturos Sator Dierum.,
 Hinc fato placido, vocabit ad se,
 Æternisq; Bonis beabit Axe.

M. CHRISTOPH. Schultze/
 Gymn. Magd. Urat. Coll.

Flaminius Gasto:
 Magdalena Freywaldia. 2333.

ev Δ.

Protrudat Pignora Lectus. 2333.

Nobile Delicium formosa Marita Mariti est
 Adspectu, Adfectu, Gente, Pudore, Fide.,
 Talem tu nactus tali cum Laude Maritames,
 GASTO, Machaonii Stella Corusca Chori.
 Maeste Tori hâc castâ, GASTO clarissime, Costâ,
 Maeste pari Ingenio, maeste pari Genere.,
 Protrudat dulcis dulcissima Pignora Lectus;
 Vos inter spiret, par Calor, atq; Valor.,
 Immò Favore suo Vobis DEUS adsit, ab alto;
 Præsto ubi namq; DEUS, præsto ibi cuncta Salus.

Chronodistichon

Annum, Mensẽ, & Diem Nuptialem.,
 uti & Præclarissimi Dn. Sponsi Nomen.,
 repræsentans:

TERTIVS EXISTIT QVANDO FEBRVARIVS ORTV,
GASTO, SVBIVT SOCIIV MVNIA PRIVA TORI.

Paucis his Elegis prospera multa vovet

CASPARUS HOFMANUS.,
 Elyf. J. U. C. & P. L. C. Ravitl. Polo-
 norum Notarius.

Ad Dominum Sponsum.

Quis non terq̄, quaterq̄, predicaret
 Felicem, atq̄, aliis beatiorem,
 Illum, qui reperit sibi fidelm̄,
 Et certam Sociam, cui iugatus
 Arcanos Animi sui recessus,
 Abditosq̄, potest referre Motus:
 Cum quâ tempus, & otium dies
 Gaudet fallere colloctione:
 In cuius datur occupare sedem
 Mente, & carpere melleam quietem:
 Cum quâ participare læta cuncta,
 Atq̄, tristia quæq̄, non veretur.
 Ne talem Sociam, fidelitate
 Mentis conspicuam, colende **GASTI**;
 Qui fessos medicâ vales levare
 Artus arte, docens dies caducos
 Herbis amplificare, Pharmacisq̄
 Mortales; placidâ cupiditate
 Quæsitam, reperisse Te, patescit.
 Hanc desiderium, intimumq̄, cordis
 Cyprio salientis igne votum,
 Explevisse Tibi, lubente latu
 Mente gratulor: immò Te beatum,
 Felicemq̄, satis cano, quod illo

Thesaurus es, placidi favore cæli,
 Donatus, sine quo per omne Tempus
 Non perfectus, & integer fuisses.
 Nam si Pars anima tua est Amicus,
 Atq̄, Dimidium Tui, nec ullus
 Totus creditur esse, cui fidelis
 Non adstat Socius, bonusq̄, Amicus.
 Gratulor merito Tibi proinde,
 Atq̄, Vota fero: **DEUS** benignus,
 Sancti Conjugii Autor atq̄, Fautor,
 Vestra Corcula copulet, ligetq̄,
 Vinculis adamantinis Amoris,
 Ut junctos neq̄, turbines Malorum,
 Mortales neq̄, separare possint!
 Mens in corporibus duobus una
 Sit Vobis, simul atq̄, sensus unus!
 Longos ducite congruenter annos;
 Et, qui dotibus ingenl feracis
 Certatim referant utrumq̄, Vestrum,
 Seros cernite proferi Nepotes.
 Sic jam Vos Amor, & Decus, vigensq̄,
 Aetas jungat, & amulanda Virtus;
 Præpotensq̄, tegat Manus **JEHOVÆ**.

Hæc paucula Honoris debiti & observantiæ
 ergò, ex animo devoto, Nuptisq̄; no-
 vis addictissimo, apponebat

GEORGIUS HÖPPERUS,
 Schmideberg. junioris Freywaldi
 domesticus Informator.